



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Leodivm Ecclesiae Cathedralis**

**Rausinus, Stephanus**

**Namvrçi, 1639**

Serenissimo, Potentissimo, Et Avgvsto Principi Ferdinando, Dei Gratia  
Archiepiscopo ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11818**



S E R E N I S S I M O,  
P O T E N T I S S I M O,  
E T A V G V S T O P R I N C I P I  
F E R D I N A N D O,

DEI GRATIA ARCHIEPISCOPO  
Coloniensi, Sacri Romani Imperij per Italiam Ar-  
chicancellario, Principi Electori, Sanctæ Sedis Apo-  
stolicæ Legato Nato, Episcopo Leodiensi, Monaste-  
riensi, & Paderbornensi, Administratori Hildeshei-  
mensi, Bergtesgadensi & Stabulensi, Comiti Palatino  
Rheni, Vtriusque Bauaria, Westphaliæ, Angariæ &  
Bullonij Duci, Marchioni Franchimontensi, Comiti  
Loffensi, Longiensi, Hornensi, &c.

DOMINO CLEMENTISSIMO.



*Serenissime & Auguste Princeps,*

Patere obsecro ad sacram clementiæ tuæ  
aram munus leuicense accedere, seruitutis meæ tesse-

a 2

ram,

## E P I S T O L A

ram, stili monumentum. Quod *Celsitudinis Tue Serenissimæ* pedibus supplex ingeniculabitur Leodium est. Non huiusce tempestatis, tumultuans irreuerentiâ, nutans, aut tumens inobedientiâ, & ardens seditione; in quod interim propè tot expansa sunt admirandæ Patientiæ ad frugem reuocantis prodigia, quot ibi patrata facinorum portenta. Sed prisca instituti, quale olim fuit, & emaculatis maculis esse deinceps oporteret. Etsi per interruptionem temporum illaudabilibus vulneribus antehac irrogatis dignoscatur cicatricosum. Prodit laruis & præstigijs detractis, queis quidam hodie lemures plebeculam licentiosorem, soluendi iugi auidam, velut prætentio libertatis pileo dementant. Ad *Serentatem Tuam* rectâ habet rectam viam. Nam ad quem potius? Offerunt se Oppidum Conditori, Politia Legislatori, Oppidani Domino, Subditi Legitimo Principi, incrementa Benefactori, Priuilegiorum laureolæ (quas Plebicolæ, nihil minus quàm Publicolæ, largiloqui interpretes plusquàm aureolas facere gestitant) Priuilegiorum Authori. Quod tot nominibus purè putè tuum est, admitte vt & hoc nomine à manu scriptoris, subditi, & famuli, censeriqueat tuum. Teneo quidem Iureconsultorum paræmiam, Iure summo, & subtilioribus legum apicibus, Quæ sua semel sunt, aliunde  
nouo

## DEDICATORIA.

nouo titulo sua iterum esse vix posse: Benigna tamen numinis suppletionē denuò vt sua fiant nil vetare arbitror. Cuncta à largitore omnium exeunt Deo; grati cæterùm dicimur cum ab eo accepta, eidem referimus. Conditor, Legislator, & Dominus fuit Diuus Hubertus Regij sanguinis Princeps, primus Leodicensium Antistes, consobrinus tuus. Quippe qui Materno latere Pipini Herstalli iuxta plerosque nepos, certè consanguineus, à Sancto Arnulpho è Regibus Francorum Orientalium, genus duxerit; & Augusta Domus Bauarica per Ludouicum Pium, Carolum Magnum, Pipinum Reges, & Herstallum, ad eundem Sanctum Arnulphum referat originem. Hoc ipso etiam Urbis Princeps, quia auspiciatò totius Prouinciæ (cuius Legia est membrum) Ducatum, Marchionatum & Comitatus plures complectentis. Ad hæc, si à Conditore proximus habetur dotator, aut benefactor munificus, supra Camilli & Octauij Romana encomia, noui Conditoris & Parentis præconium iniurius sit quisquis denegauerit. Maiores, & Gentiles multipliciter pepererunt.

Antecessores Episcopos Bauariæ stirpis respicimus? Quanta columina & lumina? Sanctus Theodardus, Gerbaldus, Reginaldus, Theoduinus, Ioannes, Ernestus Bauari. Sanctus Theodardus nonus & decimus Tun-

## E P I S T O L A

grorum Episcopus in asserendis ab iniustis occupato-  
 ribus Ecclesiæ suæ (quæ nunc est Leodina) iuribus,  
 & bonis vitam martyr impendit; illiusque corpus  
 vnum est inter præcipua Cathedralis templi decora  
 depositum, & pignus. Gerbaldus à Sancto Huber-  
 to quartus, & ex interuallo Reginaldus, & Theo-  
 duinus multa phana construxerunt. Idem Reginal-  
 dus potissimos Leodij lapideos pontes; Et Theodui-  
 nus Hoiensem Ecclesiam instauravit, adiectis supra  
 parem numerum quindecim Sacerdotiis, seu Cano-  
 nicatibus. Quin & Nobilem Hannoniæ Comita-  
 tum ære suo cõemptum, venditori rursus in feudum  
 concessum Cathedræ suæ tunc fecit clientelarem. Ioan-  
 nes aliquam Magistratui Ciuico iurisdictionem attri-  
 buit, fors Catonis circa Macedonas, aut Adriani circa  
 populos trans Euphratem, & Tygrim degentes, exem-  
 plum secutus. Ernestus vltra Seminarium, & Nosoco-  
 mium, illud solidæ doctrinæ Athenæum, hoc egritudi-  
 nis inopiâ rei domesticæ simul laborantis solamen, Ele-  
 ctioni Consulari formam præscripsit. Duraturam in  
 æuum, nisi morosi immorigerorum mores transilirent  
 diuina præscripta sapientum. De quibus Antistitibus  
 ex Regiâ Boiorum Ducum prosapiâ per agnationem  
 oriundis, diffusius postremo posterioris libri capite tra-  
 ctabitur.

## DEDICATORIA.

Etabitur. Nithardum Reginaldi immediatum succes-  
forem, & nepotem, optimè alioquin meritum, vt qui  
Comitatum de Haspinga (Hasbaniam posterì dixere)  
Ecclesiæ quesuit, aliosque maternâ lineâ Bauaros, com-  
pendio studens, studiosè prætereo. Nolo insuper *Sere-  
nitatis Tuæ* beneficia isthïc commemorare, veritus ne  
ei qui præstare, & non prædicari vult, ob ingenitam mo-  
destiam ruborem suffundam. Nec loci præsentis angu-  
stia ferret quæ breuì plenis erunt voluminibus recen-  
senda.

Imus ad Imperatores, & Germaniæ Reges, sub  
quibus, ceu sub Supremis Dominis Vrbs cum toto Prin-  
cipatu hïc vsque stetit, momento ruitura, si (quod non  
pauci perduelles moluntur) authoritatem semel ex-  
cusserit? Sepono Carolum Magnum, & Ludouicum  
Pium Maiores Tuos in Ecclesiam oppidò liberales. In-  
ter Bauaros Cæsares Sanctus Henricus, illius nominis  
Secundus, ante sexcentos & triginta ampliùs annos Im-  
perator dictus, occurrit, qui in genti dote Ecclesiam per-  
manenter ditauit, communiuitque priuilegijs, in sub-  
ditos, vt à Sole in terram radij, deriuantibus. Quotquot  
deinde priuilegia ab Augustâ domo Austriacâ, fæcun-  
dissimo gratiarum fonte promanarunt (plurima sunt,  
pafsim reticitis authoribus per ora vulgi parùm grati  
versan-

EPISTOLA

versantia) quidni partem deberi euincam Ferdinandi  
 Primi Cęsarıs, & Annę Hungarię Reginę coniugum,  
 per Annam auiam paternam illorum filiam Pronepoti?  
 Et Maximiliani Primi per Isabellam Caroli Quinti so-  
 rorem, Philippi Primi, & Ioannę Regum Hispania-  
 rum, & Belgij Principum filiam, Proauiam maternam  
 Atnepoti? Bene sit Heroũm omnium manibus, & ci-  
 neribus. Qui si postliminiõ redirent in lucem, quod  
 Sanctus Monulphus sesquisęculo priusquã condere-  
 tur pręuidit, & prędixit, iuxtã cum ignarissimis igno-  
 rarent, & ab oculis suis mirabundi inquirerent, num ea  
 illa sit Vrbs à Sancto Huberto condita, quam ipsimet  
 dotarunt, locupletarunt, & tanquã fidelem Imperio  
 ęternũ futuram, peculiaribus voluẽre exornatam fa-  
 uoribus. Faciliũs Æneas Deiphobum, dum viueret for-  
 mã conspicuum, apud inferos lacerum ore, manibus,  
 naso, & auribus truncis, potuisset agnoscere, quã illi  
 Leodium nunc internosse. Vniuersa nimirũ Episcopi  
 Regalia inhonestissimis dehonestata sunt plagis, vnum  
 omnia confauciata vulnus. Iulij Cęsarıs toga à Marco  
 Antonio in classicum explicata minoribus purpurese-  
 bat ciuicę crudelitatis notis. Fateor, vt assiduo allisu flu-  
 mina prominentes glebas littorum insensibili detri-  
 mento exedunt, indomito autem exundantis repentẽ  
 torren-

## DEDICATORIA.

torrentis accursu, edita, & plana, cliui, & colles perua-  
 duntur. Sic aliquot subinde sæculis audaciores subditi  
 in omnem præripiendi occasionem intenti, impercep-  
 tibili sensim dente adroserunt nonnulla Principis iura:  
 Et de iacturâ quantumvis leui veteres non immeritò  
 queruntur historici, modò adhuc dolent prohi. Iure  
 inquam; quia qui coronæ adherent lapilli, & gemmæ  
 extra priuatorum commercia consistunt. Et in sede  
 Regiâ vel inaduertenter sedere capitale erat apud Per-  
 fas. Quisquis enim imaginem Principis in minimo  
 etiam artu, aut vngue regiminis deleuerit totius machi-  
 næ compagem dissoluerit; instar clypei Mineruæ, vbi  
 Phidiæ artificis effigies inclusa si conuelleretur, totius  
 operis fatiscens colligatio excidebat. Quandoque ra-  
 pidissimi ritu torrentis malo genio in seditionem (cre-  
 brior plus nimio fuit) ruentes, fasque cum iniquo con-  
 fundentes Principalem quidem iurisdictionem fædè  
 labefactarunt, sed sepiusculè in transcurso, & impetu  
 magis, quàm deliberato consilio peccantes. Et mox,  
 aut, vt plurimum, non multo interiecto tempore,  
 compressi, culpam fassi, & deprecati resipuerunt: Qui-  
 busdam, præsertim antesignanis, pœnas luentibus. Tan-  
 dem authoritate Principis ab imminentibus naufragijs  
 saluâ enatantè. Saluâ, non vbique integrâ: plerumque  
 non

in omnibus

b

non



EPISTOLA

non eo minùs præcisâ è paludamento fimbriâ. Nunc porro diuturno, & meditato scelere delinquitur, quod non inheret modò, sed altè insidet. Quorsum tanta ambages? Pusiones giganteo fastu Iouem ipsum solio detrahère satagerent, Pelion Ossæ imposituri.

Næ opus Æsculapio, qui ceu regium adolescentem Hyppolitum curru deiectum, rotis & calcibus quadrigarum protritum, membratimque discerptum, proculcatam turpiter Principis Maiestatem, laniatamque & in frustra conscissam iurisdictionem animet, curet, & pristino colori restituat. Flagitia iustitiam, proteruia reuerentiam, vis & iniuria leges pessumdedere; & velut ob obtentam de innocentia victoriam impunè, & palam ouant; imò triumphant. Pars curationis traditur cognitio egritudinis infirmi, & sanitatis velle sanari. Quò ratio imperandi meliùs sibi constet consultum creditur, ne in obscuro lateat ius imperantis; vt hinc constanter iubeat, illinc fideliter mos geratur. Vna tot læthalibus vulneribus medela est parère. Saluberimum febricitantis Prothei medicamentum est obtemperacionis, etiam còactæ, pharmacum. Turnus Herdonius Tarquinio moram ex eo purganti, quod inter patrem, & filium disceptator sumptus fuisset, non perperam respondisse multis videtur, paucis verbis eiusmodi

## DEDICATORIA.

eiusmodi cognitionem transigendam ; ni filius patri  
 (subditus Domino) pareat, habiturum infortunium.  
 Xenophon Attica Musa apellatus, octauo de Pædia  
 Cyri libro ait, Principi obedire maximum esse bo-  
 num. Nam quod legem pectori cuiusque nostrum  
 profundissimè à naturâ insculptam inuertit pessimum  
 est ; quod rationis dictamini conuenit optimum.  
 Quàm horrida & feralis ominis foret Mundi facies,  
 si planetæ in centrum descenderent, & tellus fursùm  
 cælestium globorum aulea fordidaret ? Subditi obe-  
 dientiam Domino detrectantes monstra sunt in Poli-  
 tico regimine luto lutulentiora. Procul à more ge-  
 rendo recedunt subditi, qui præter æthymologiam  
 nominis, præesse, non subesse tentant, quique Domini  
 vestem in lacinias secantes tunicam sibi confarciunt,  
 vsu propriam facturi. O temeritatem ! eò deuentum,  
 vt quæstionem mouere præsumant, quid in Ciuitate,  
 & pomærio sit Ciuitatis, quid Principis ? Illam Peri-  
 patetici vt contra prima principia, & sensum com-  
 munem excogitatam, exploderent, interminato qui-  
 ritoribus lumbifragio. Ego latiore premens orbi-  
 tam operæ duxi precium veritatem Cimmeriis fabu-  
 larum popularium tenebris obnuptam phœbeâ lam-  
 pade retegere, & nudam remoto scenico apparatu,

## E P I S T O L A

cunctis fuspiciendam exhibere. Exiguum opus, operosum tamen. Ad illius fortè similitudinem, qui totam Homeri Iliadem in ilio & intestino exarauit. Plus profuit Magno Cyro ius suum in Medos, & Persas ab Harpago didicisse, quàm innumeri exercitus numeros, & singulorum nomina militum, vt Themistocles ciuium, memoriâ comprehendisse. Et Mithridati ad salutem, & nouum Ponti regnum legisse quod ei Demetrius Antigoni Regis filius à patre adiuratus non eloqui, hastâ in terræ puluere scripserat, quàm duas & viginti linguas pro subiectarum multitudine nationum caluisse.

Enimuerò, *Princeps Clementissime*, hac lucubrationiculâ meridiano die pellucidius ostendo Legiam sub Aquilæ auspiciis, Episcopo totam competere; illius esse Regalia, & Dominium omne; nec fragmentum quidem iurisdictionis Magistratui Ciuico, aut Duabus ac Triginta Tribubus, nisi precario, & Principum indulto inesse. Leodium vastitate corporis, non magnitudine authoritatis ab alijs Prouinciæ Oppidis secerni. Sorores omnes, etate, & prolicatione dispares, cæterà pares. Quarum vna natu minima proletariorum feracior, eoque ferocior, proceritate eminent, reliquæ fidelitate commendantur. Ad Principem Urbis custodiam,

## DEDICATORIA.

diam, & clauēs, muros, valla, pontes, publicas vias, flumina, monetam, arma, merum, mixtum imperium, vitæ, necis ius, tribunalia, telonia, mulctas, remittendi, gratiamque faciendi facultatem, & quæque Dominij insignia pertinere. Consulatum, quo tanto pere luxurians insolescit inescatus delirijs vsurpatæ potestatis populus, senis propemodùm sæculis ab vrbe condita obtrusum: lactantias antiquitatis, vel Romanæ originis pro nanijs anilibus habendas. Quâ parte tolerari, & legitimus ab inde fieri cœpit, Principibus deberi, & ex illorum pendere arbitrio. Electionis normam, & Magistratus robur gratiosè ab illis processisse. Verbo vno, Episcopum esse verum & proprium Leodij Dominum, æquè ac totius Prouinciæ, singulorumque Oppidorum. Non apellatione tenus, nec trunco similem, quem Æsopi ranæ cœaxantes Regem poposcerunt, & dato illuserunt. Neque Pactitium, nexis brachijs, & legibus à populo latis vinctum; qualem effingunt qui modestius loqui simulant, & Thales populi cluent. Haut secus quàm Poëtæ Prometheus, vulturibus escam, Caucaſo illigatum. Qui possit? Cum Princeps in solo suo Vrberem statuerit, & habitaturi in subiectionem venerint, nequaquam seruili tergo imperium comportantes. Ciuum nullæ in le-

b 3

gendo

EPISTOLA

gendo Principe sint partes, nulla penès eos electi probandi, improbandiue copia. Sunt Pacta aliquot per prædecessores, ceteroquin successoribus pares, non superiores, inita: Pactitium illa Principem minimè faciunt. Non eo tantùm argumento, quod Ciues nullis vnquam fletere pactis; quibus, cum Terentiano Phormione, Pactum non Pactum est, non Pactum Pactum est, quoties eis lubet, & eadem linguâ vnum aiunt, & negant. Aut quod per seditionem, & vim armatam susque deque rebus turbatis suos ad iniqua fœdera adegere Principes, qui cõacti castorem imitari irrequietis istis venatoribus quandam dependentis iurisdictionis particulam abiecere. Verùm quod illa ipsissima Pacta clamitant verum per omnia esse Principem. Ni infallibilis Themis fallit, reor id liquidò demonstrasse. Et Scæ portæ superum limen diruisse; celebratissimum compitalibus sermonibus *Pactum de Fexbe*, Principibus sub inaugurationem, vt vulgus contendit iurandum, & euertendæ Principali potestati contortum: Cui, dextrorsum, non sinistrorsum captum, stabilendæ potiùs conduceret. Quin Palladium ex arce Mineruæ sustulisse. *Præscriptionem* dico, quâ tanquam supremo vrbis fato, reliquis expugnatis, nituntur.

Priuegiis inmodicè gloriuntur; quæ vel proximè  
 à Prin-

## DEDICATORIA.

à Principibus, vel Principum rogatu, & intuitu à Cæsaribus obtinere. Inde turgidiores, aduersus Cæsares, & Principes promptius insolescunt. Quos obnoxiores, quò deuinctiores beneficiis, esse oportebat experientia testatur ingratiore. Metus saltem intra officium retinere deberet, ne frequentatæ notâ ingratitudinis, causam præberent rescissioni. Quod Augustum factitasse legimus, libertates Ciuitatibus ijs abutentibus adimementem. Ante eum, Alexandrum Macedonem in Tyrios mouisse, & animaduertisse, quod olim seruile genus ingenua capita oppressisset. Pleraque, proh dolor! solis improbis, magno proborum mœrore, vsui sunt: vt non tam beneficia videantur, quàm veneficia, nec palmæ innocentium, sed latibula sceleratorum. Xenophon de Politia Atheniensium sui temporis scribens, Rempubliam propterea non laudauit, quod meliori conditione malos, quàm bonos esse voluissent.

*Non placet quod scurræ laudant, manipulares mustitant:*

*Labes populi, legirupæ, iniuriæ, damno, & molestiæ omnibus.*

Vt abusu, sic fictione, & dilatactione decurrant, priuilegia quæ non sunt intonantes, quæ sunt suo arbitratu protrahentes. Ab hodiernis flagitijs animum nunc abduco,  
vetustos

A E P I S T O L A G

vetustos errores contueor, qui multorum mentes oc-  
 cuparunt. Plures detexi, & præ aliis insignem impostu-  
 ram, Philippinam vnam spongiâ egentem annum  
 1208 præferentem, à Philippo Romanorum Rege  
 Ottonis competitore nomen indeptam; quam pro  
 incude habent, vnde libertatum, vulgò francifiarum,  
 phaleras procudunt; aut pro equo Epei agmina, &  
 legiones immunitatum parturiente. Vice cuius ex-  
 punctæ Philippinæ multò vtilius aliam Philippinam  
 Iustinianæo Codici insertam crebrò perpenderent;  
 quam Philippus Imperator Gordiani Iunioris succes-  
 sor, mille propemodùm annis hoc Philippo vetustior  
 aduersus ingratos sanxit. *Etsi, inquit, perfectis dona-*  
*tionibus in possessionem inductus libertus quantolibet*  
*tempore ea quæ sibi donata sunt pleno iure vt Domi-*  
*nus possederit, tamen si ingratus sit, omnis donatio pa-*  
*tronorum voluntate reuocanda est. Nam qui obsequijs*  
*suis liberalitatem patronorum prouocauerunt non sunt*  
*digni quò eam retineant, cum ceperint obsequia negli-*  
*gere; cum magis in eos collata liberalitas ad obse-*  
*quium eos inclinare deberet, quàm ad insolentiam eri-*  
*gere. Si ita duriusculè in libertos, & clientes rerum do-*  
*natarum Dominos statutum, num meliore loco cen-*  
*sendi subditi, collatorum priuilegiorum non Domini,*  
sed

## DEDICATORIA.

sed precariâ tantum vsurâ potiti?

Alterâ itaque Corniculâ furtiuâ nunc exutâ coloribus, exemptionum paratragædiationes velut spiritu difflatae detumescunt, fusâque Iridis nube in imbre apparet Legia eiusdem cum aliis Oppidanis & Prouincialibus fortis, Fide & meritis longè pollentioribus. Non sum nescius obtrektorum vicio duratorum homini duobus Consulatus functo calamum stringere oppugnandis populi Magistratibus. Quibus statim pro vestibulo, siue in *Occasione Operis*, satisfaciam; si calumniatoribus quicquam queat esse satis. Ut Medicus corporis morbos, corpus neutiquam infectatur; Anarchiam & informe vsurpationum Chaôs persequor; non Magistratum impeto, suis finibus, quibus me Consul continui, conclusum. Dum Plebecula effera illo stimulante, hoc probante, dissimulante alio, alio per formidinem tacente, Principalem, & Imperatoriam Authoritatem duplici perduellionatu, variis prius ludificatam modis subuertit, & quidam præeuntes ad nequitiam Magistri, veluti atramentum cerusâ candesceri posset, offuciâ & pigmento iuris indignissimum nefas interpolant, rumpendum fuit, spreto exprobratorum latratu, silentium. Veritati & virtuti litans publico bono operor, non quærendæ

c

apud



EPIST. DEDIC.

apud malignos è fumo famæ. Rem *Celsissimæ Tuæ Serenitatis*, *Dux Religiosissime*, in eâ Ecclesiæ Cathedralis, Sacri Romani Imperij, Principatus totius Leodicensis, & ipsiusmet Legiæ, intellecturæ si quando è veterno euigilauerit, in scopum mihi propolui. Annuat Deiparæ filius: Qui & *Eandem cum totâ Augustâ Domo Bauaricâ* perenni incolumitate, & fælicitate beët.

Intercâ, *Heros Ter Maxime*, qualemcumque hunc laboris & memoriæ inelaboratum fœtum, quâ es humanissimâ fronte gratanter suscipe, in eo pensans offerentis obsequiosum desiderium, magis quàm oblatis ornamentum. Optat, Reobsecratque

SERENISSIMÆ CELSITVDINIS

*Humillimus, Fidelissimus & Obedientissimus  
Subditus & Famulus*

STEPHANVS RAUSINVS.